Lēctiō	quīnta	Dē	ingeniōsō	Ulixe	et	Aenēā	piō	Post	ruīnam	Trōiae	Graecī	in

patriam	suam	nāvigābant.	Ulixēs	cum	sociīs	ob	iram	Neptūnī	decem	annōs	errābat.	Dea	Minerva	vĭrum

ingeniōsum	dīligēbat,	itaque	inter	perīcula	adiuvābat.	Ulixēs	apud	rēgem	Alcinoum	dē	errōribus	fābulōsīs

narrat:	Ōlim	in	Cyclŏpum	īnsulam	pervēnimus.	Cyclopēs	horrendī	ūnicum	oculum	in	fronte	habent.

Polyphēmus,	ūnus	ē	Cyclopibus,	fīlius	Neptūnī	nōnnullōs	sociōs	meōs	interfēcit	et	dēvorāvit.	Tunc

Polyphēmum	ebrium,	dum	dormiēbat,	caecum	reddidimus.	Cyclopēs	eum	nōn	adiūvērunt,	quia	ita	clāmābat:

"Nēmō	mē	violāvit!"	Nam	prius	ei	dīxī:	"Nēminem	mē	nominant."	Mox	rursus	eum	fefellī.	Arietēs

enim	per	portam	ad	prātum	mittēbat,	sed	dorsa	arietum	manibus	temptābat,	egŏ	autem	sociōs

ventrēs	ăriētum	ligāvī.	Posteā	ad	īnsulam	Sīrēnum	pervēnimŭs.	Sīrēnēs	nautās	vōcibus	mīrīs	ad	īnsulam

alliciunt	et	interficiunt.	Sociōs	servāre	voluī,	sed	in	corde	meō	māgna	cupīdō	erat	audīre	vōcēs	dulcēs.

Itaque	aurēs	sociōrum	cērā	implēvī,	iī	autem	manūs	meās	et	pedēs	meōs	ad	antennam

alligāvērunt.	Sīc	carmen	dulce	Sīrēnum	audīvī.	Post	ruīnam	Trōiae	Dardanī	patriam	nōvam	quaerēbant

Aenēās,	quem	posteā	Rōmānī	pătrem	nōminābant,	cum	sociīs	ob	īram	Iūnōnis	septem	annōs	errābat.

Dea	Vĕnus	fīlium	pium	dīligēbat	et	Trōianōs	inter	perīcula	semper	adiuvābat.	Aenēās	apud	rēgīnam

Dīdōnem	dē	ruinā	Trōiae	et	errōribus	fābulōsīs	narrat:	Fuimus	Trōēs,	fuit	Īlium	et	ingēns	glōria

Teucrōrum!	Trōia	(Īlium)	ruēbat,	Trōiānōs	Graecī	aut	interfēcērunt	aut	captīvōs	sēcum	portāvērunt.	Trōiānī

Penatēs	mihi	commendāvērunt.	Meum	mandātum	est:	Penātibus	et	populō	meō	patriam	nōvam

quaerĕre.	Nōs,	miserī	terrā	marīque	errāmus.	Cum	Harpyiīs	pūgnābāmus,	et	socium	Polyphēmī	vīdimus.

Scyllam	et	Charybdim,	perīcula	gemina	cōgnōvimus.	Labōrēs	et	dolōrēs	infandōs	tolerābāmus.